

19448
1948

/ Ill/me et Rev/me D/ne Collendissime.

Ill/mae Dominationis V/ae accepi litteras hodie, qui est 7 decemb. hujus anni 1617, illas iterum atque iterum perlegi; sed tanquam minime lectas iterum perlegere aveo; qui enim Ill/mae Dominationis
5 Vestrae amplexari vestigia et sanctorum colloquiorum pasci suavitate exopto, sitim hanc Ill/mae D/ni V/ae litterarum lectione, si non expleo, saltem fallere contendo. Quod Ill/ma Dominatio V/a asserit, perdifficile esse de Bracmanarum moribus absentes ferre sententiam, fateor; id enim ex facti pendet scientia, quam Romae existentes
10 assequi arduum est: attamen si mihi causam hanc coram agere esset integrum, divina adjutus ope, procul dubio dubitationis speciem adimerem. Ego ipse antequam Bracmanarum tenerem scientias, illorumque pervolverem libros, in hac eram sententia, ut omnia Indorum cultus genera detestarer; cum enim illa ab Europaeo quam maxime
15 distare more conspicerem, iis superstitionis inurebam notam, quorum finem et institutum minime tenebam. At cum divina misericordia illorum Grandani idiomatis (scientificum est apud illos idioma, quod nemini hucusque ex nostris Europeis illos communicasse compertum est) mihi indigno patefecisset aditum, illaque omnia quae
20 controvertuntur politicum redolere cultum cognovissem, ut illorum prospicerem conversionem (quae huc usque in hac mediterranea India fuit nulla,) in contrariam sed tamen veram declinavi sententiam, non meo fretus judicio, sed Reverendissimi Domini Archiepiscopi Cranganoris illius ecclesiae ordinarii, et plurimorum qui tunc praeerant
25 Patrum auctoritate suffultus. At si de Rev/mo Domino Archiepiscopo agitur, ipse multo ante quam ego huc venirem, hanc nostram apud se veram reputabat sententiam, quam se ex quorundam Indorum doctorum virorum diuturnis colloquiis assequutum esse, ipse mihi testatus est. In praesentia autem Rev/mus Dominus Archiepiscopus Goanam sibi parat
30 profectionem; me etiam, ni fallor, Goam hac de causa superiores proficisci imperabunt, atque ita Ill/mae Dominationis Vestrae pre-

/ cationibus ad Deum pro nobis fuis, nos omnes adjuți, ostium hoc
quod tam imple antiquus obseravit hostis, obnubilati veri, dilu-
cidatione divina ope reserabimus. Cum vero onerariae naves brevi
Lusitaniam versus ex urbe Goae sint soluturæ, hoc anno absolutum
5 negotium Romam transmitti temporis brevitās non permittet. Reli-
quum est ut Ill/ma Dominatio V/ra mei non obliviscatur meque in
suorum servorum ascribat numerum exopto, atque adeo me tanquam rem
ab Ill/ma Dominatione Vestra possessam quotidianis suis sanctis
sacrificiis omnipotenti Deo commendandum suppliciter exposco. Ex
10 hac urbe Granganoris 8 decembris 1617.

Ill/mae et Rev/mae Dominationis V/rae

Indignus servus et filius in Christo

Robertus Nobilis.

All' Ill/ma et Rev/ma Sig/re e P're mio osser/ma il S/or Cardinal

15 Roberto Bellarmino (cachet)

2/a Via.

Roma.

Varia ad Card.Bell. spectantia fol.221. Orig. autogr.